



THEOLOGIAE  
PROPHETICAE  
PARS PRIMA,

EXHIBENS  
RHETORICAM ECCLESIASTICAM.

CAPUT I.

*De fine Theologiae Propheticae.*

PRÆCEPTA.

**T**HEOLOGIA Prophetica est prudentia enarrans officium doctoris ecclesiae.

Eius partes tres sunt. prima de fine; secunda de subiecto; tertia de medijs.

Finis theologiae propheticae est internus, vel externus.

Finis internus est tradere praecepta & regulas de officio doctoris ecclesiae.

Finis externus est ultimus, vel subordinatus.

Finis ultimus est gloria Dei & salus hominum aeterna.

Finis subordinatus est Ecclesiae particularis bona constitutio, & legitima administratio.

REGULAE.

I. Prophetica est doctrina sacra recte prophetiam, hoc est, munus ecclesiasticum exercendi.

*Theologia prophetica cur sic dicta?*

Vox *Propheta* duobus modis sumitur in lingua Graeca. Et primo quidem in angustiore significatione saepius accipitur; & tum *ωσφητις* est, qui praedici futura. Vide 1. Corinth. 12. vers. 28. & Ephes. 4. vers. 11. Deinde *ωσφητις* in latiore sensu est idem, quod antistes & interpres sacrorum:

A rum: